
363.


363.






N.o 363.
M Tuscher fecit

ASSERTIONES DE OFFICIO PARENTVM ERGA LIBEROS

ros in disputationem propositæ

à

Nicolao Hemmingio, anno 1570. In Feb:



Hafniæ,
Excudebat Laurentius Benedictus.
1570.

1. DE parentibus qui ſecundum Deum ortus noſtri cauſæ ſunt dicturi, primum quid debeant parentes liberis inquiremus. Deinde præmia præſtiti officij notabimus, poſtremò enormitatem neglecti officij, & eiuſdem iuſtam pœnam indicabimus.

2. Officium debitum parentum hoc modo inquirendum eſſe iudicamus, ſi primum generationis finem, deinde quæ ad finem conſequendum ordine requiruntur, ſcrutati fuerimus.

3. Nam cum partes morales ſint quæ requiruntur ordinè ad finem moralem (qui ſinis rationem totius habet) cognito fine & propoſito facilius quæ ad finem aſſequendum faciunt perquiri poßunt & ordinari prout ratio & ordo conſecutionis verum poſtulare videtur.

4. Qui finem generationis hominum

meti-



metiuntur voluptatibus, porcj potius cenſendi ſunt quàm homines, ne dicam porcis turpiores. Nam ſi porci fari poſſent dicerent ſe non voluptatem expetere vt ſummum bonum, ſed ſuj potius conſeruationem hinc voluptatem tanquam conſeruationis ſuæ adminiculum.

Alij cum Simonide poëta. Etſi au- 5.
tem non verbis, reipſa tamen in his tribus finem hominis ponunt, ſi bene valeant, ſi pulchra ſint forma, ſi ſine dolo ſint diujtes.

Omitto aliorum ineptias, & finem 6.
hominis inquiro ex conſilio Dej qui hominem condidit.

Conſilium Dej creantis hominem in 7.
his conſpicitur: in formatione hominis, in imagine Dej, In paradiſo ad habitandum tradita, in figura hominis erecta, in adiuncto adiutorio, in facultatibus naturæ conceſsis.

8. *Formatio hominis ex re terreſtri & cœleſti ſignificat Deum ita velle hominem verſari in terra, vt mente meditetur cœleſtia & diuina. Nam vt terra ex qua formatus eſt terrenam conditionem indicat, ita ſpiraculum Dej quod potior hominis pars eſt, monet vt cœleſtia terrenis præferat.*

9. *Imago Dej: hominem ad imitationem Dei ad ſanctitatem, ad immortalitatem conditum eſſe conuincit, & eius dignitatem ſupra creaturas reliquas eminere teſtatur.*

10. *Paradiſus ad habitandum tradita beatam vitam cum conditione obedientiæ homini fuiſſe propoſitam monſtrat, à qua quia excluſus eſt propter peccatum, Chriſtus mediator via credentibus in paradiſum, & in vitæ æternæ poſſeſſionem datus eſt.*

11. *Figura hominis, videlicet quòd*

vultu

vultu erecto sit conditus homo monet vt in contemplatione cœlestium occupetur: id quod Ethnicus poëta non ignorauit cum caneret:

> Pronaq; cum spectent animalia cætera tenam
> Os homini sublime dedit, cœlumq; videre
> Iussit, & erectos ad cœlum tollere Vultus.

Adiunctum adiutorium arguit hominem conditum esse ad societatem. Vnde & nomen apud Latinos Danos & Germanos habet, ob quam etiam causam homo definitur apud Philosophos sociale animal. 12.

Facultates naturæ humanæ in creatione attributæ, & post lapsum relictæ, etsi non puræ quo omnes hominis actiones referendæ sint admonent. Siquidem facultates cuiusq; naturæ quibus actionibus natura sit destinata creatoris decreto monstrant. Cum itaq; solus homo has simul habeat facultates animæ τό ἡγεμονικον, το ἐπιθυμιτικον, καὶ τό θυμοειδὲς ratione 13.

ratione ducitur ad optima, concupiſcentia in ijſdem adeptis acquieſcit, vi iraſcibili tuetur eadem & contrarijs aduerſatur.

14. *Et quoniam maius & diuturnius bonum minori & momentaneo præferendum eſt & optimum omnibus quæ ſunt infra optimum, rectè dixeris* τὸ ἡγεμονικὸν *datum vt Deum quæras,* τὸ ἐπιθυμιτικὸν *vt eundem ames atq; in eo ſolo acquieſcas,* τὸ θυμοειδὲσ *vt hoc bonū tuearis, aduerſeris hoſti Dei diabolo & peccato quod homines à Deo ſeparat.*

15. *Ex his ſimul conſideratis tres fines hominis piè ſtatui poſſunt, quorum primus ſecundo, & vterq; tertio deſtinantur.*

16. *Horum finium primus eſt vt homines inter ſe piam colant ſocietatem, eamq; ornent, mutuis officijs alij alios adiuuantes vt incolumis ſit, quieta & tranquilla humana ſocietas.*

Se-

Secundus cuj primus destinatur, est 17.
vt in societate Deum agnoscamus, colamus ac auersemur omnia quæ Deo aduersantur, hos duos fines pulchrè coniunxit Stigelius & vir & poëta optimus in hisce notissimis versibus.

Vtq; alios alij de relligione docerent
Contiguas pietas iussit habere domos.

Tertius cui vterq;, hoc est, primus 18.
& secundus destinantur, atque ideo finis finium, seu finis bonorum dici potest, est: Vt homines resuscitati à mortuis sint integri animabus & corporibus, sint immortales, sint beati in omnem æternitatem, sint conformes Christo, Deum perpetuis hymnis celebraturj.

Hos tres fines pij parentes sibi per- 19.
petuo ob oculos ponent qui decreuerunt Deo seruire, ac depositum sibi concreditum hoc est liberos quos genuerunt in Dej gloriam educare.

20. *Qui ſecus fecerint in extremo die condemnabuntur à Platone, qui rectiſſimè dicit nos ideo generare liberos vt nobis mortuis Deo in noſtrum locum cultores relinquamus.*

21. *Ad hos ergo tres fines, pij parentes omnia ſua conſilia omnes conatus referre debent: quibus ſic conſtitutis, non erit difficile ea inquirere & ordinare quæ ad hos fines ordine facere videbuntur in qua re officium parentum erga liberos poſitum eſt.*

22. *Sed hic admiratione imprimis dignum eſt quod Deus indiderit parentibus áffectum quo tenerrimè amant ſuas proles, hic affectus Græcè* στοργὴ *dicitur, hoc eſt amor naturalis, vt qui ipſam naturam cauſam habeat atque ideo difficulter ſolubilis, hic affectus duo facit, videlicet vt parentes & boni conſulant quæ tœdio eſſe poſſent, & omnia quæ-*

rant

rant & faciant quæ ad incolumitatem
prolium facere videntur.

Hic ergo affectus officiorum pater- 23.
norum veluti suasor & impulsor est, ve-
rum ne parẽtes in partibus officij errent
semper fines generationis quos propo-
suimus intuebuntur, vt στοργὴ illa natu-
ralis rectâ progrediatur in officio præ-
stando non declinando nec ad dexteram
nec ad sinistram.

Nos ergo vt rectè ordinemus officia 24.
parentum, videamus quæ intermedia
sint recta via seu linea inter naturalem
dilectionem parentum, & fines genera-
tionis à nobis propositos.

Diligenter itaq; mihi contemplantj 25.
quatuor videntur statui posse interme-
dia, quæ sunt & storgæ naturalis in ho-
nestis parentibus germani fructus, seu
effecta, & caussæ ordine requisitæ ad
consecutionem finium quos pij parentes
sibi præstituent.

26. *Sunt autem hæc quatuor: Cuſtodia, Educatio, Diſciplina, prouiſio, ſed quid horum ſingula ſibi velint paucis declarandum eſt.*

27. *In cuſtodia quia tenera ætas multis caſibus eſt obnoxia, & multæ ſunt inſidiæ Diaboli, requiritur ſedula cura & inuocatio Dej, Niſi enim Dominus cuſtodierit domum fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.*

28. *Neglectæ huius cuſtodiæ multi iuſtas pœnas luunt, quum nutricum vel ſomnolētia vel vindictæ cupiditate vel alioqui malicia infantes opprimuntur, habendus eſt igitur delectus nutricum, & ſæpe earum diligentia exploranda.*

29. *Educationem refero ad victum & amictum neceſſarium, victus ſit talis vt non opprimat naturam ſed nutriat & foueat, amictus ſit huiuſmodi qui conueniat parentum ſtatui & non ſit fomentum ſuperbiæ & leuitatis.* Di-

Disciplina quæ potißimum finibus 30.
generationis liberorum accommodatur,
in duobus est posita: videlicet, in instru-
ctione & correctione.

Instructionem triplicem eße conue- 31.
nit vt finis generationis est triplex, pri-
ma debet eße virtutis moralis seu hones-
tatis ciuilis, secunda pietatis seu religio-
nis erga Deum, Tertia artificij seu ar-
tis prout expedire videtur.

Instructio virtutis absoluitur regu- 32.
lis & exemplis iisq; præcipuè domesticis
& assuefactione: nisi enim parentes vir-
tutum regulas quas liberis tradunt vita
exprimunt inanem suscipiunt laborem.
Quid enim prodest verbis extruere quod
vita destruis?

Hec virtutis instructio eò pertine- 33.
bit, vt amica, placida, comis, & sua-
uis sit liberorum conuersatio cum aliis,
domi forisq;.

Secun-

34. Secunda instructio pietatis seu religionis erga Deum esse debet: hæc constat regulis pietatis, & crebris exercitijs quæ in parentum exemplis tanquam in tabulis picta pueris proponi debent, nisi enim parentes exemplo preeunt, non habent liberi quos sequantur, vnde fit vt quemadmodum leprosi filij à leprosis parentibus nascantur, ita impiorum parentum labem & impietatem liberi contrahant.

35. Hec pietatis instructio eo pertinebit vt libri in Ecclesia sanctorum, Deum cum alijs sanctis. celebrent, inuocent, & obedientia colant, & tandem iuncti Deo in æterna vita, perfecto amore æternum sint beatj, & hic est finis conditi & redemti generis humani.

36. Tertia est artis qua & necessitati propriæ succurrere & vtiles humanæ societati esse possent liberi. Hic parentes di-

diligenter videbunt vt eas artes deligant ad quas maximè aptos esse suos liberos animaduerterunt, idque exemplo veterum Atheniensium.

Altera pars disciplinæ correctio est, 37.
nam cum multa errata in vita accidunt opus est correctione quæ partim verbis partim plagis constat.

In hac correctione regula teneatur 38.
Syracidæ, Ne des filio licentiam in iuuentute, neq; ad eius errata conniueas, verũ hic duo extrema cauẽda sunt videlicet nimia indulgẽtia & nimia austeritas. Nam vt blanda patrum segnes facit indulgentia natos, ita nimia austeritas animos iuueniles reddit inertes Col: 3.

Prouisio est vt pueri cum parentum 39.
edes relinquunt, ætate aliud flagitante vitæ genus, vel cum orbantur parentibus habeant in vitæ præsidium patrimonium aut iustè partum aut nullum,

Nam

Nam ex malè quæsitis non gaudet tertius heres. Verum nullum patrimonium tutius, splendidius, diuturnius & optatius liberis contingere potest quam virtutes & vera parentum pietas, quæ nec igni consumi, nec à furibus auferri, nec ab hostibus eripi possunt.

40. *Iam quæ sint præmia parentibus proposita qui piè & rectè officium faciunt videamus.*

41. *Summum præmium est benedictio diuina, deinde sequitur bona fama propter liberorum rectam institutionem, tum ex adultis liberis consolatio & digna, si res postulauerit nutricationis præmia, omnia hæc conscientia officij rectè præstiti excipit, vt taceam Deum dare successum in aliis negotiis iis qui domum propriam rectè gubernant.*

42. *Tertio loco proposui de enormitate sceleris eorum qui officium non faciunt*

in

in educandis liberis & de pœna neglecti officij.

Primum parentes non rectè & piè 43.
inſtituentes ſuos liberos mandatum Dei mandantis vt parentes honeſtè & piè ſuos liberos inſtituant, pro ludibrio habent, quo ſcelere quid quæſo poteſt eſſe grauius?

Deinde liberis ipſis intolerabilem 44.
iniuriam faciunt quibus natura dictāte debent honeſtam & piam educationem.

Tum ſibi ipſis in ſenectute moleſtias 45.
grauiſsimas accerſunt. Quid moleſtius eſſe poteſt quàm videre liberos ſuos ferri præcipites in omne flagitium, conſumere parentum facultates in lupanaribus cum ſcortis potatoribus & luſoribus?

Adhæc parentes malè educantes ſuos 46.
liberos ſunt etiam in ſocietatem humanam iniqui. Nam reipublicæ debent parētes ſuos liberos, quos ſi malè educauerunt

runt pernitiosos ciues relinquunt reipublicæ in totius societatis damnum & detrimentum, nam & exemplo euertunt multos & ignauia sua nihil conferunt ad conseruandam societatem inter homines nec Ecclesiæ prosunt, vt interim taceam parentes malè instituentes suos liberos, fouere & augere diaboli delicias in contumeliam Dej.

47. *Ex his non difficile erit indicare de pœnis quarum caput est maledictio diuina, infamia, mala conscientia, calamitas in liberis. Breuiter negligentia in educandis biberis meretur temporaneas & æternas pœnas quas nobis contemplandas exhibebit extremus dies in quo instituetur examen rectè & malè factorum.*